



Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Avrelii Avgvstini Hippoensis Episcopi Et S. R. E.
Doctoris Vita**

Lancilottus, Corneille

Antverpiæ, 1616

Cap. XXV. Scribit D. Augustinus Parænesim ad Bonifacium Tribunum: agit contra raptorem virginis: cum Maximo & Pascentio Arianis disputat: & præcipit eidem Bonifacio, vt abstractum sacris altaribus ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42857

perduxit. Sub idem tempus in Africâ (quæ, ut est in proverbio, noui semper aliquid patrit) noui erroris assertor Vincentius Victor diabolicâ prorsus illusione, animas hominum non ex nihilo, sed velut quasdam Dei particulas ex diuinâ creatas esse substantiâ, in vulgus effuttiuit. Quam emergentem ab inferis hæresim, velut inflamatam nubē, contrariis in aëra impressionibus dissoluit i. v. libris conscriptis, quibus se Vincen-
tius victum fasilius, emendationis suæ testes literas Augustino misit. Eodem tempore Gennad.
Leporius quidam hæreticorum audacissi- de Vir. il-
mus, D.P. Augustini, & Galliæ Doctorum lust. 59. in
operâ, ab hæresi miscellaneâ ad fidem Ca- Leporio.
tholicam est conuersus.

Lib. 2. Re-
tract. c. 56.

C A P V T X X V .

Scribit D. Augustinus parænesim ad Bonifa-
cium Tribunum: agit contra raptorem vir-
ginis: cum Maximo & Pascentio Arianis
disputat: & precipit eidem Bonifacio, ut
abstractum sacris altaribus restituat.

VENERAT in Africam Bonifacius,
Thrax genere, Tribunus militum, re-
rum bellicarum gloriâ illustris; quo fuit
Augustinus usus perquam familiariter, ac
præter alias literas, ad eum paræneticam
misit Epistolam, quâ Christiani hominis

Q 3

vitam

vitam breuiter complexus, licere, ait, eidem
 ad publicam pacem tuendum, arma capes-
 sere; vnaque de temperantiâ seruandâ mo-
 nitionem adiungit; *Valde dicens turpe esse,*
 Epist. 205 *ut quem non vincit homo, vincat libido;* &
obruatur vino, qui non vincitur ferro. Dein
 vbi ostendit, quâm sit vtile hæreticos mo-
 deratè per leges coërceri; magnopere ait si-
 bi gaudendum esse, quod Ecclesia Africa-
 na, se Episcopo, longè meliori loco quâm
 priùs esset. Eodem autem Bonifacio Go-
 this inibi militibus Præfecto, cùm eorum
 quidam Virginem Deo sacram rapuisset;
 Augustinus, quâ pollebat auctoritate, egit
 cum Bonifacio, vt in raptorem grauiter
 animaduerteret: nam *bene agere, & illicita*
 T. 2. Epist. *non prohibere, consensus erroris est.*
 1. in App. c. *pla-*

Eiusdem Gothicæ nationis Arianâ labi
 infecti Maximus Episcopus, & Pascentius
 Comes rerum proscriptarum exactor, in
 tantum processerant audaciæ, vt ad dispu-
 tationem non dubitarent Augustinum la-
 cessere: quem & secùs quâm rati erant, ad
 pugnam promptissimum & longè superio-
 rem deprehendentes, hæreticâ nihilomi-
 nùs loquacitate apud vulgus sese victores
 esse iactitarunt. Sed Augustinus totius serie
 disputationis per spectatissimos viros fide-
 liter digestâ, fraudis hæreticos coarguit,

pla-

planeque eorum iniustitiam detexit, atque etiam ad Pascentium literas complures dedit, contraq; Maximum libris duobus egit.

Confugerat quidam capitali scelere perpetrato ad Ecclesiam, in eâ velut asylo se tutum fore arbitratus: eum tamen Bonifacius per fas nefasque ab altaribus sacris abs tractum ad pœnas repoposcit. Quod factum grauiter ferens Augustinus, Duce m increpuit, excommunicationis eum fulmine terrens: qui quamuis esset Dux militum, Ecclesiasticæ censuræ metu percussus, non sine lacrymis erroris sui pœnitudinem animo concepit. Dein officiosè commendans eidem Bonifacio Castinum Romanum Consulem, ut is eum Italiâ profugum (quamuis ab eo antè multis iniuriis lacestis) benignè suscipiat hortatur, proposito exemplo Christi Saluatoris, qui pro facinorosissimis Iudæis, à quibus erat in cruce in sublatus, obnoxie Deum Patrem rogauit. Subdit ad extremum, ut videat Bonifacius oppositu militum suorum, ne quid detrimenti capiat Africa Ioannis cuiusdam ty ranni in eam hostili aduentu. Posthæc Cælestino, qui Bonifacio Pontifici Opt. Max. successerat, summam in Ecclesiâ dignitatem gratulatus, rogat ne Antonium Episcopum Fessulanum ob sclera desecraretum,

Q. 4

tum,

Epist. 11. in
Append.

Epist. 4. in
Append.

tum, pristinum in locum velit restituere,
quamuis ei hac de caussâ sit obnoxè sup-
plicaturus.

C A P V T X X V I.

*Flagrat D. Augustinus incredibili amore
iuandi proximum.*

SI C igitur vnde cumque sese rectè facti
Salicuius occasio dedisset, incomparabili
suo in Deum & homines amore perfecit, ut
ne cuiquam defuisse videretur. Quin etiam
veri pastoris munia liberaliter functus, suo-
rum ciuium controuersias forenses com-
Poffid.c.19 ponebat, ob quorum multitudinem per-
Enarrat.in molestam, suis (conqueritur) cupiditatibus
Psal. 118. ut occupemur, & ijs nostra tempora rebus ero-
ganda diuinis impendamus, efflagitant. Qua-
re intendens in eis Christianorum momen-
ta animorum, aliquando usque ad horam
refectionis, aliquando ieunus totâ die per-
stans, semper autem, quoad poterat, iurgan-
tes dirimens, in id totis viribus incumbebat,
ut fœdæ altercationes, odia, similitates,
pugnæ, aliaq, id genus mala quæ lites con-
sequi solent, suâ auctoritate tollerentur:
Dei videlicet gloriam & suorum popula-
rium salutem anxiè consecans. Quos tan-
topere amabat, ut instar D. Pauli optantis
anathema esse pro fratribus, clamavit fre-
quenter

Rom. 9.